

www.e-rara.ch

Philosophus irresolutus, sive, Quaestiones universae philosophiae principales

Walser, Iso

[Sankt Gallen], anno 1748

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 248

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28721>

Quaestio X. An deus ponatur in praedicamento substantiae?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

QUÆSTIO X.

*An DEUS ponatur in Prædicamento
Substantiæ ?*

SENTENTIA. I. Negans. ita communior Th. Th. Sc. Sc. & RR. eamque tenent S. Thomas 1. p. q. 3. a. 5. Conimbric. in c. 5. de subst. q. 1. a. 2. Goudin *hic* q. 2. a. 2. Rubius c. 5. prædic. q. 2. plures citans. Wenzl. Babenstuber. Renz. Vischl. Salemitani in harmonia, & alij multi etiam RR.

FUNDAMENTA.

1. Quod ponitur in prædicamento, debet in se includere genus sub quo ponitur, & differentiam per quam contrahitur ad certam speciem; sed in DEO nec datur genus nec differentia; ergò. *prob. m. 1.* quia genus est quid *potentiale*, perfectibile; atqui in DEO non potest concipi aliquid *potentiale*; ergò nec genus. 2. Differentia vera non includit genus in suo conceptu; atqui *infinitas* includit substantiam *ut sic*, cum infinitas includat, & significet omnem per-



fectionem, qualis etiam est ratio substantiæ; ergò infinitas non est vera differentia.

2. Repugnat in DEO *affirmativè*, & positivè concipi aliquam imperfectiōnem, & potentialitatem: atqui si DEus posset habere compositionem metaphysicam ex genere, & differentia, posset in ipso *positivè* concipi aliquid imperfectum, & potentiale, scilicet genus, seu ratio Substantiæ ut perfectibilis per infinitatem, ergò.

3. DEus non ponitur directè in prædicamento ut *genus*, cum hoc sit quid potentiale, & habens sub se plures species, quorum neutrum DEO convenit: nec ut *Species*, cum hæc sit composita ex genere, & differentia, & respiciat plura individua, de quibus prædicatur: nec ut *individuum*. Tum quia hoc continetur sub aliqua specie; & componitur ex genere, differentia, & singularitate. Tum quia individuum *quæ tale* speciei nullam superaddit specificam perfectionem, v.g. Petreitas nullam superaddit homini specificam perfectionem in ratione hominis: atqui DEus cum etiam
secun-

secundum gradum individualement infinitam perfectionem contineat, superadderet infinitam specificam perfectionem; ergò.

4. Substantia ut est summum genus in prædicamento est quid finitum, cum excludat positivè alia prædicamenta, & earum perfectiones, ergò DEus eam ut talem non participat, nec sub ea continetur.

R E S P O N S A Aa.

Ad 1. *D. m.* Non datur genus in DEO *realiter*, con. *ex parte nostri conceptus*, neg. *ad prob. 1. D. m.* potentiale, quod sit tale *in ipso DEO*, con. quod sit tale *in nostro actu*, neg. *m. & conf. ad prob. 2.* Dico: differentiam in DEO esse *aseitatem*, vel *increatedum*, non verò *infinitatem*, atqui *aseitas*, vel ratio *increatedi* in suo conceptu formali non involvit rationem *substantia ut sic*. ergò datur in DEO vera differentia.

Ad 2. *D. M.* Ita ut illa potentialitas sit in *ipso DEO realiter*. con. ut non sit in DEO, sed in nostro intellectu. neg. *M. D. m. n. conf.*

G 4

Ad 3.



Ad 3. DEum poni in prædicamento ut individuum quod simul sit species subijcibilis, ut ait Gervasius: vel ut individuum non alicujus speciei infimæ prædicabilis, sed ut res singularis indivisibilis in alia individua; ut vult Hurtado *D. 9. de prædic. s. 4. s. 35.*

Ad prob. 1. D. a. sub specie intentionaliter tali, con. sub specie realiter, h. e. à parte rei tali. neg.

Ad prob. 2. neg. m. quia differentia individualis non dicit infinitam perfectionem explicitè, & in suo conceptu formali, consequenter non super addit novam specificam perfectionem.

Ad 4. *D. c. ergò non continetur in prædicamento substantiæ finitæ, & ut opposito alijs prædicamentis, con. substantiæ ut sic, & ut abstrahentis à finitate, vel infinitate, neg.*

SENTENTIA II. Affirmans. ita Nominales. Gregorius, & Gabriel in *1. d. 8. q. 3.* Hurtadus *d. 9. meta. s. 4.* Oviedo. Arriaga. Averfa. Major. Robertus Holcoth *q. 6.* Gervasius *hic q. 3. a. 2.* & alij.

FUN-

FUNDAMENTA.

1. DEus , & creatura conveniunt univocè in ratione substantiæ ; ergò DEus continetur sub substantia ut sic, *ant. prob.* quia DEus est Ens per se existens sicut creatura ; ergò.

2. Substantia respectu hominis, & formicæ est univoca , licèt in illo sit perfectior ; ergò etiam est univoca respectu DEI, & creaturæ, licèt in DEO sit perfectior.

3. Linea infinitæ longitudinis poneretur in prædicamento , ergò etiam DEus infinitus.

4. Datur in DEo distinctio rationis , ergò & compositio rationis per genus , & differentiam.

5. DEus non minùs est summè unus, quàm summè simplex ; ergò si DEo ut summè uno non repugnat distinctio rationis , etiam ut summè simplici non repugnabit compositio rationis.

6. DEus infinitè intelligibilis potest intelligi ab intellectu finito , & sic continetur sub objecto potentiæ intellectivæ finitæ ; ergò etiam DEus

infinitæ substantialitatis poterit contineri sub prædicamento substantiæ.

7. Suppositum creatum pertinet ad prædicamentum; ergò etiam Suppositum divinum in Christo.

RESPONSA Aa.

Ad 1. 1. *Neg. ant. ad prob. d. a.* est Ens per se existens *modo creaturis univoco, & finitum, neg. modo creaturis analogo, & infinitum, con. a. n. c.* DEus existit per se *independenter ab alio; creaturæ verò dependenter à DEo. 2. d. a.* in ratione substantiæ *prædicamentalis, neg. hæc enim est quid finitum, cùm excludat perfectiones aliorum prædicamentorum: non prædicamentalis si daretur, transf.*

Ad 2. *Neg. parit. 1.* quia in illis est finita, in DEo autem infinita. 2. quia illa major perfectio substantiæ in homine se tenet solum *ex parte differentia*, scilicet rationalitatis; in ratione enim substantiæ *ut sic* formica non est imperfectior homine: econtra DEus etiam *ex parte substantiæ ut sic* est perfectior: & substantia *ut sic* dicit omne substantiale; ergò etiam dicit per-

perfectionem *infinitatis*, *aseitatis*, quæ sunt quid substantiale. ex quo infer-
tur, homini rationem substantiæ non
convenire, nisi per participationem,
& quasi imitandô substantiam divi-
nam; ergò analogicè.

Ad 3. *Neg. parit.* quia esset solùm
infinita *secundùm quid*, non *absolute* si-
cut DEUS.

Ad 4. *Neg. conf.* quia distinctio da-
tur inter *actum*, & *actum*, & fundatur
in perfectione, & *eminentia* DEI: econ-
trà compositio datur inter *actum*, &
potentiam, h. e. inter genus, & dif-
ferentiam, quæ non dantur in DEO.
2. quia distinctio rationis nullam in
DEO importat imperfectionem, nec
per eam DEO attribuitur *positive* ali-
quid potentiale, & imperfectum;
nam per hoc, quòd aliquod attri-
butum in DEO v. g. sapientiam *præ-*
scindendô, non *negandô*, concipiam sine
altero v. g. sine potentia, DEUM
non concipio ut imperfectum; *abstra-*
hentium enim non est mendacium: econtrà
compositio rationis importaret in ip-
so DEO imperfectionem; quia de-
beret DEUS *positive* concipi ut poten-
tia-

tuale quid, & perfectibile; eo ipso quòd deberet in eo concipi genus metaphysicum, quod est totum potentiale: ergò ipsi DEO attribueretur imperfectio. *adde*, si concipias DEum ut potentialem, & perfectibilem, non concipies DEum verè, sed aliud ens fictum.

Ad 5. *Neg. parit.* quia distinctio rationis non est *positiva*, h. e. negans positivè, & formaliter, quòd unum attributum non sit realiter alterum, sed tantum *præcisiva*, h. e. unum attributum concipiens non conceptò alterò, consequenter non tollit unitatem DEI: econtrà compositio rationis est *positiva* DEum positivè secundum rationem substantiæ ut potentialem, & perfectibilem concipiens: cum ergò repugnet enti simplicissimo concipi ut potentiale, & componibile, idcirco etiam repugnat simplicitati DEI compositio rationis.

Ad 6. *Neg. parit.* quia DEus in se infinitus intellectui creato unitur modò finitò; ergò ut finitò modò cognoscibilis potest contineri sub objecto potentiæ intellectivæ finitæ, quæ
ver-

versatur circa verum finitô modô intelligibile: at limitibus prædicamenti, & sub aliquo genere contineri non potest quia ob suam in omnibus perfectionibus infinitatem omnem potentialitatem excludit.

Ad 7. *Neg. conf.* quia poni in prædicamento *importat imperfectionem*; ideò enim suppositum creatum ponitur *reductivè* in prædicamento, quia est modus substantialis, & aliquid incompletum: Suppositum autem divinum non facit ea in Christo, quæ imperfectionem important, licèt faciat omnia, quæ non important imperfectionem, quæ faceret suppositum creatum respectu naturæ in Christo.

Nec dicas. Suppositum divinum esse complementum ejus naturæ, quæ ponitur in prædicamento, scilicet naturæ humanæ Christi; ergò saltem reductivè ponitur in prædicamento. nam

R. *Dist. a.* est complementum *essentialiter*, & *naturaliter ordinatum ad talem naturam*, neg. *non essentialiter*, sed solum *supernaturaliter* perficiens talem naturam, con. a. n. conf.

Fun-



Fundam. præcip. Sentent. 1. Substantia prædicamentalis est quid finitum, excludit enim positivè alia prædicamenta; ergò DEUS infinitus sub ea collocari non potest. 2. In DEO non potest positivè concipi genus, & differentia, potentialitas &c.

Fundam. Sent. 2. Substantia prædicamentalis ut sic abstrahit à finita, & infinita, ergò cum DEO ratio substantiæ ut sic univocè conveniat, poterit DEUS poni in prædicamento substantiæ. 2. Potest in DEO concipi genus, & differentia, nec hoc involvit imperfectionem in ipso DEO, sed ex parte nostri intellectûs.

QUÆSTIO XI.

*An Relatio realiter distinguatur
à fundamento proximo?*

SENTENTIA I. Negans. ita Suarez d. 47. f. 2. Conimbric. hîc q. 1. e. 4. Hurtado d. 15. meta. f. 2. Arriaga diff. 12. log. f. 5. Semery d. 4. log. q. 8. a. 4. Burgundi. Calaguritanus, & alij plurimi, estque sententia communis inter RR.

FUN-